QUÆSTIO MEDICA,

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS, manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis decimâ Februarii.

M. GUIDONE ERASMO EMMEREZ, Doctore Medico, Scholarum Professore, Præside.

An sanguis à sanguine?

I.

TOTIUS corporis nostri constructio mirabilis sane. Mirum quam multis, & à se multum diversis partibus constet hominis corpus. Illarum solidæ aliæ, aliæ fluidæ. Per solidas intellige eas omnes quæ nec liquidæ sunt, nec impetum faciunt. Non omnes solidæ, non fluidæ omnes unius ejusdemque naturæ: omnium tamen inter se consensum, conspirationem, societatem miratur qui in hæc inquirit Medicus. Nulla pars in corpore inutilis omnino ad vitam, sed non omnium æqua necessitas, non par omnium dignitas. Solidis præstant fluidæ omnium quæ in corporibus nostris eveniunt mutationum, alterationum, fixationum, solutionum, sublimationum, præcipitationum, omnium denique actionum aut motuum, hæc duo unum quid & idem, veræ & efficientes causæ. Tot dictarum actionum qui effectrices causas qualitates aut facultates à materia liberas assignarunt quarum aliæ necessariò semper agant, aliæ pro diversis ætatibus aut otientur aut agant malè illi assignarunt: qui solidas partes, dolio vinum fermentandi, maturandi, coquendi, acescendi, vapescendi aut alias alterandi virtutem tribuant necesse est. Sanguis ipse tot tragædiarum actor est & ubique sui ipsius effectrix causa.

II.

UBIQUE sanguinem à sanguine fieri nihil vero similius. E solidis partibus nulla ad id peculiari titulo destinata. Hepatis non peculiaris est substantia quæ sanguinis vera sit & effectrix causa. Lien, ut plerumque melancholicis sympthomatis non potius divexatur, sic melancholici sanguinis elaborationi non servit potissimum. Cor musculus sanguinis elaborationi tribuit nihil præter motum & impulsionem. In omnibus & singulis partibus elaboratur sanguis plus vel minus. In partibus, non à partibus fit istæc elaboratio; nec in partium cellulis fit, sed in omnium simul & singularum tubulis. In uniuscujusque partis spatiis fit aliquid singulare & ab αἱμάτωσει diversum, hic concretio, illic solutio,

alibi filtratio, sublimatio, præcipitatio, aut novi alicujus humoris generatio; at eo ipso tempore in tubulis venis & arteriis sed potissimum arteriis, sanguis ipse elaboratur. Hanc elaborationem, ut & dictas omnes actiones non una & eadem lex regit, non vasorum aut partium concinnitas miraque structura: partes locum tantum concedunt & spatium ad actiones edendas; partium structurâ juvari non fieri possunt functiones: neque hæc plerumque pervertitur nisi vitiatis prius aut alteratis functionibus. Non fermentum ubique latens, fermentis non omnia plena. Non calidum partibus innatum & ipsis intimius hærens fixumque; si fixum non amplius calidum; quiete frigus, motu calor optime definiuntur; præterea tale quid fixum in partibus & perpetuum negant satis indesinens cujuslibet nostræ substantiæ etiam solidæ dissipatio & ejusdem assidua reparatio. Tot actionum diversas aliquando causas assignare nihil vetat. Naturæ primæ summa perfectio, summa simplicitas: nostra quæ secunda ubique, nec simplex nec sui similis, similiter ubique non agit. Ipsius αἱματώσεως causa sanguis ipse qui principiorum suorum actione & virtute diversas quibus constat, particulas & quidquid ipsi pro materia miscetur, suîdéque vertit perpetuo, magis ac magis attenuat, indesinenter subigit, tandemque sibi perfecte assimilat.

III.

SANGUIS nullibi in corporibus nostris sincerus existit. Ubique sui similis plurimis & dissimilibus constat principiis. Hæc sensibilia vel insensibilia facere, hoc aut alio nomine illa omnia insignire parum refert, si, quod verum, concedatur hæc omnia nata & apta esse in sese invicem agere & reagere. Isthæc omnium sanguinis principiorum actio & reactio Medicis fermentatio dicitur ex qua pendet αἱμάτωσις. servatâ principiorum debitâ inter se porportione & misturâ, lenis & vitalis fermentatio in sanguine promovetur. Fermentatione omnes sanguinis particulæ commoventur, exagitanturque plurimum, à vegetionibus & perfectioribus, quæ propriè sanguis erunt, disponuntur cæteræ, attenuantur nonnullæ, aliæ ab aliis secernuntur, omnes ad libitum ducuntur; sicque sanguinis partes diversæ, ab ipsomet sanguine perficiuntur magis ac magis, ipsique tandem perfecte assimilantur. Sanguini identidem, ipsi hæterogeneus chylus admiscetur. Simul confusi sanguis & chylus tacitè primò secum invicem luctantur usque dum ad cor venerint. Cordis motu & impulsu atque etiam lymphatici cujusdam liquoris de novo admixti tota & chyli & sanguinis moles laxior fit, simulque à corde in pulmones pellitur. Sanguinis principia, quæ cordis motu liberiora & activiora facta in alia chyli principia inibi jam irruerant, intra pulmones vim majorem adepta ex elasticarum & nitrosarum aëris particularum secum unione, melius quam antea novi hospitis seu chyli particulas omnes evolvunt, alias ab aliis expediunt, omnes alio ordine, situ alio disponunt; jamque non chylus amplius, sed qui aliàs ex acidi ventriculi cum sulphureis alimentorum particulis unione lactescebat liquor, sanguis fieri incipit, totusque jam accenditur & colorem mutat ex alio acido nitro superante atque cum sulphureis particulis intimè sociato; namque aër non tam ad refrigerium, quam ad sanguinis accensionem & motum in pulmones admittitur. E pulmonibus cor iterum petit

ſanguis, atque jam novo iſtius muſculi motu & impulſu, pergit quod inceptum, & quod eundo ac redeundo intra vaſa aſſiduo quaſi digeſtionis calore & nonnullorum ſalium temperatione, ut par eſt rubeſcit & perfectè tandem abſolvetur non ſimul omnes aut veteris aut de novo facti ſanguinis particulæ perficiuntur. Dum hæ ultimum perfectionis, ſi volueris coctionis gradum adipiſcuntur, ad hunc proximè accedunt aliæ, crudiores coquuntur, attenuantur craſſiores. Sanguinis fermentationis ac elaborationis principia omnia in ſanguine jacent. Sui ipſius ſolus opifex ſanguis etiam ab origine & in fætu.

IV.

QUEM olim in natura phœnicem finxerunt poetæ, revera ſanguis eſt qui ſibi ipſi vitam dat naturæ ſuæ aſſimilando quod ipſi hæterogeneum pro materia miſcetur. Opus ſuum à primò natali die ad ultimum uſque necis peragit ſanguis, & ab hoc incipit, deinceps ve pendet totius animalis vita. Ex ovo ex ſemine naſcatur fœtus, certum ſemper intus recludi ſpiritus, parentum ſubtiliſſimi ſanguinis deciduæ portiunculæ. Hi cum in mutuos amplexus ruunt mas & fæmina vix continentur, ſed ſtatim in utero partis humiditate & denſitate concentrantur omnes & recolliguntur. Simul collecti quaſi novam induunt ſubſtantiam, & quam prius ſanguinis naturam habuerant in parentibus repetunt; repetunt & motus determinationem quam in iiſdem habuerant. Hac determinatione ſanguis ille ſpirituoſus huc & illuc ſecum rapit quæ in eodem ovo aut ſemine ſingularum partium rudimenta latitabant, hæc ſuo ordine & loco diſponit omnia, ſicque eundo ſibi vias cudit ſanguis, ſic partes ſingulas efformat ſimul, efformatas luſtrat & vivificat, atque ſic ſanguis in ſingulis partibus, actionum primaria fit & effectrix cauſa. Simul efformantur partes omnes fætus, non ſimul omnes abſolvuntur. Quæ in centro aliis citius, quia in centro tamquam in fonte particularum ſanguinis & major copia & virtus multo potentior. Hinc primis etiam diebus apparet ſtatim in totius operis centro punctum ſaliens & rubens ab ipſomet ſanguine qui puncto, ſeu corculo prior. Ejuſmodi ſanguis eſt qui totâ deinde vitâ principiorum actione & virtute alium & perficiet & de novo generabit ſanguinem, tum in utero ipſo cum & per os & per umbilicum colliquamento, atque materno ſanguine nutritur fætus, tum extra uterum ubi animal aliis veſcitur alimentis ſolidis, liquidis, nam hæc quoque nutriunt, atque ſolus chylus pro immediata ſanguinis materia reputatur

V.

DUM à ſe ipſo fermenteſcit & elaboratur ſanguis, tamquam oceanus alter it, reditque vias toties & ſuo circuitu movetur: eundo etiam ut oceanus, inde creſcit, hinc imminuitur. Illud omne ad individui commodum & majorem ſanguinis perfectionem molitur natura. Hæc duo ſanguinis fermentatio, ejuſdemve circuitus à ſe mutuo non fiunt, ſibi tantum auxiliantur mutuo. Illa à ſanguinis principiorum virtute & actione. Hic à cordis impetu & motu, qui cordis, ut cæterarum partium motus à ſpiritibus ſuo etiam circuitu non minus ac ſanguis mobilibus. Circuitu ſanguinis principiorum quibus conſtat virtus augetur, eorumdem actio

promovetur magis, unde melius elaboratur ſanguis. Ob eam rem etiam dum partes ſingulas trajicit ſanguis diverſarum ejus particularum ſecretiones fiunt, ad quas partium poros patentiores vel ſtrictiores facere meliùs quàm illos diverſimodè configurare, cum liquidus ſanguis cuique alienæ figuræ facilè ſe accommodet. Quidquid ex ſanguine excernitur non ut imminuatur ejus moles ſecernitur & tanquam inutile & merum excrementum foras expellatur: aliunde creſcit illa moles, cum quod prius ſecretum fuerat tanquam utile jam ac novus humor ſanguini redditur iterum. Omnium humorum materiam in ſanguine quidem reperias, ſed non omnes una pariter cum ſanguine fiunt & cum ipſo generantur. Quaſi peculiares ſedes natura deſignavit in quibus ſeorſim elaborentur ſinguli. Ex illorum pleriſque, aliquid ſanguini uno quoque circuitu redditur. Spiritus acido ſumme volatilis ex liene, ex teſticulis ſal volatile & ſpirituoſum, ex glandulis plurimis lymphaticus liquor à ſpirituum natura non omnino degener; etiam bilioſi balſami ſeu tanquam ſulphuris vitæ aliquid. Iſtæc omnia ſanguini refluenti pæne jam effæto & languido redduntur ad novam ejus accenſionem, ſolutionem, activitatem, & ad integram cujuſlibet ſanguinis perfectionem. Sanguinis circuitus, diverſarum ejus particularum ſecretiones aut de novo admiſtiones, αἱμάτωσιν multum quidem juvant ſed non faciunt. Vera & effectrix αἱματώσεως cauſa ſanguis ipſe principiorum ſuorum actione & virtute. His à ſe invicem impeditis aut ſecretis, ab extraneis aut viſcerum excrementis inquinatis, non amplius aut male jam fit ſanguinis fermentatio, depauperatur ipſe ſanguis, excandeſcit, coagulatur aut alias vitioſus gignitur pro diverſo impedimento. Iiſdem tenorem & ſitum naturalem ſervantibus, Sanguis blandè fermenteſcit, quæ amandari & foras expelli debent expelluntur, quæ in ſanguinem recipi recipiuntur; ſicque melius diverſæ ſanguinis particulæ ſeſe infringunt & à ſe invicem infringuntur, facilius quæ activiores & perfectiores alias attenuant, movent, ſubigunt, aſſimilant, atque ſic omnes ab ipſo ſanguine legitimam ſanguinis conſiſtentiam ac debitam perfectionem ſenſim & ſuo ordine melius acquirunt.

Ergo ſanguis à ſanguine.

Domini Doctores diſputaturi.

M. Franciſcus Maillard.
M. Joannes Poiſſon.
M. Jacobus des Prez.
M. Petrus-Paulus Guyart.
M. Franciſcus le Rat.
M. Ludovicus Labbé, Academiæ Cenſor.
M. Bertinus Dieuxivoye.
M. Guillelmus Petit, primarius ſereniſſimi Delphini Principis Medicus.
M. Rolandus Merlet.

Proponebat Pariſiis PETRUS JACQUEMIER, à Sancto Felice, Diœceſis Toloſanæ, Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1695.

Apud Franciſcum Muguet, Regis & Facultatis Medicinæ Typographum.